Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ut germanus ex eadem genitrice manans. So-
ror autem ut frater. Nam soror est ex eodem semine
dicta quod sola cum fratribus in sorte agnationis ha-
beatur. Fratres filii patrueles dicti eo quod patres
eorum germani inter se fratres fuerint. Consobrini
vocantur qui aut ex sorore et fratre aut ex duabus
sororibus sunt nati quasi consororini. Fratrueles autem ma-
tertere filii sunt. Sobrini consobrinorum filii. Tinius
genus est nominum. Patruus frater patris est quasi pater alius.
Unde et moriente patre pupillum proximus patruus
suscipit et quasi filium lege tuetur. Avunculus est
matris frater cuius nomen formam diminutivi vi-
detur habere quod ab avo venire monstratur.
Amita est soror patris quasi alia mater. Matertera
est soror matris quasi altera mater. Socer est qui filiam
dedit. Gener est qui filiam duxit. Gener autem dictus
quod adsciscatur ad augendum genus. Socer autem
et socrus quod generum vel nurum sibi adsociavit. Vitricus
est qui uxorem ex alio viro filium aut filiam hab-
entem duxit, et dictus vitricus quasi novitius quod a ma-
tre superducatur novus. Privignus est qui ex alio
patre natus est, et privignus dici putatur quasi prius
genitus, quasi prius natus, unde et vulgo antea natus.
Vocabula agentium haec videntur declinata:
genitor, genitrix, agnati, agnatae, cognati,
cognatae, progenitores, progenitrices, germani,
germanae. De coniugiis.
Vir sexum significat, non coniugium, nisi adie-
cto nomine uxoris ei. Maritus vero et sine adiectione
coniugem sonat, et a mare maritus quasi mas.
Est enim nomen primae positionis, quod facit in dimi-
nutione masculus, in derivatione maritus.
Sponsus a spondendo vocatus. Nam ante usum
tabellarum matrimonii cautiones sibi invicem
emittebant, in quibus spondebant se invicem consen-
tire in iura matrimonii ~~cautiones sibi invicem~~
~~emittebant in quibus spondebant se invicem consen-~~
~~tire in iura matrimonii~~ et fideiussores
dabant. Unde admissum est ut sponsum dica-
mus virum ab spondendo, et sponsa similiter.
Ceterum proprie spondere velle est. Sponsus quoque
non qui promittit, sed qui spondet et sponsores dat.
Arrabo dicta quasi arra bona; quod enim datur pro coniu-
gio bene datur, quia coniugium bonum est. Quod vero causa
fornicationis aut adulterii malum est, ideo
arrabo non est. Dicta autem arra a re pro qua datur. Est
enim arra non solum sponsio coniugalis, sed etiam quaelibet
promissa res data ut compleatur. Proci nuptiarum
petitores, a precando et petendo dicti. Innuba
dicta eo quod nubentibus praeest, quaeque nubente viro
coniungitur; ipsa est et paranympha. Illa nympha
sponsa innuptis, et nympha a plaudationis offi-
cio quod et ad nomen nubentis adludit. Coniuges
appellati propter iugum quod inponitur matrimonio
coniungendis. Iugo enim nubentes subici solent,
propter futuram concordiam, ne separentur. Coniuges
autem verius appellantur a prima desponsationis
fide, quamvis adhuc ignoretur coniugalis
concubitus, sicut Maria Ioseph coniunx vocatur, inter
quos nec fuerat nec futura erat carnis ulla
commixtio. Nuptae dictae quod vultus suos velent.
Translatum nomen a nubibus, quibus tegitur caelum. Unde
et nuptiae dicuntur, quod ibi primum nubentium ca-
pita velantur. Obnubere enim cooperire est. Huic est
contraria innuba, hoc est innupta, quae adhuc vultum
suum non velat. Uxores vocatae quasi unxiores.
Moris enim erat antiquitus ut nubentes puellae
simul venirent ad limen mariti, et postes an-
tequam ingrederentur ornarent laneis vittis, et
oleo ungerent, et inde uxores dictae quasi unx-
iores. Quod ideo vetabant limina calcare, quod
illic ianuae coeant et separentur. Matrona
est quae iam nupsit, et dicta matrona quasi mater nati,
vel quia iam mater fieri potest, unde et matrimonium dictum.
Distinguitur autem inter matronam et matrem et matrem-
familias. Nam matronae, quae iam in matrimonium
convenerint; ~~matres quae iam in matrimonium convene-~~
~~runt~~; matres quae genuerunt; matresfamilias